



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

107. Fer. 3. Apud Herodem Christi silentium perfectionis signum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

regno Dei fecerim, imò quid non indignū?

Conf. 3. Quomodo invalescebant dicentes: Commovit populum docens, Luc. 23. Hinc Pilatus occasione acceptā Christum mittit ad Herodem, declinans invidiam. Comitabor Dominum raptatum ad examen alterum politici Magistratūs, qui si bonus est, non condemnabit Veritatem.

MEDITATIO CVII.

Feria 3. Dom. Passionis.

Silentium perfectionis signum.

Aspiciam Dominum, qui fugerat honores, bene præparatum ad ferendum contemptum, & ignominias, è silentio suo exortas. Petam nōsse, quomodo in silentio sita sit omnis perfectio.

Conf. 1. Quomodo Herodes viso Iesu gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, &c. & sperabat signum aliquod videre ab eo fieri, ideòque interrogabat eum multis sermonibus: gaudere se, quòd è Galilæa regione sua eluxerit mundo talis, tantusque vir, cujus fama & doctrina desiderium sui fecerint, ejusque videndi prodigia: displicere sibi casum infelicem, in quo eum videret, velle se opem ferre: & fortè interrogaverit: illene sit, ad quem venerant Magi ab Oriente, &c. Certè D. Chrylost. ait; *Volebat*

eum liberare, si se excusando responderet. Iesus autem illi nihil respondebat. Non respondit curioso, vitioso, adultero, homicidæ, malitiosæ que mori Christus quàm silentium violare. Addit D. Chrysoſt. Audiant, qui sine discrimine simpliciter cum omnibus colloquuntur.

Conf. 2. Quanta hîc Christo exorta sit confusio: Stabant enim Principes Sacerdotum, & Scriba constanter accusantes eum, sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo, & illuſit indutum veste albâ, & remiſit ad Pilatum, & facti sunt amici, &c. forè inimici fuerant, quia Pilatus quondam Galilæos occidi iuſſit, Luc. 13. nunc autem amici, quòd alter alteri ius iudicij ceſſerit.

Conf. 3. Silentium eſſe perfectionis inſitiu, medium, & finem: quia eſt omnium virtutum Mater: Qui non offendit in verbo, perfectus eſt vir: Iac. 3. eſt omnium virtutum natrix: Quisquis linguam domuerit, is ſapientie arcem, & principatum tenet, ait Nazianz. eſt omnium virtutû cuſtos: Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam. Et ratio eſt, ſi anima non abit à ſe per ſenſus exſpatiando, intus manet, ſeque velut in ſpeculo contemplatur, noſcit, reformat, & ornat. Si minus ex arte, tacet propter decorum perſonæ, ut plauſum ferat: egone non taceam, ut laudem referam æternam?